PETRUS LOMBARDUS

12. Jh. Seite 163v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26206
Copyright: Admont, Benediktinerstift

agnosci. Rationis autem pars superior: eternis rationibus conspiciendis vel
consulendis adheresceit. Portio inferior ad temporalia gubernan
da deflectitur. Illa rationis intentio qua contemplamur eterna, sapientie de
putatur. illa vero qua bene utimur rebus temporalibus, scientie deputatur. Cum vero disse
rimus de natura mentis humane. de una quadam re disserimus. nec eam
in hec duo que commemoravi nisi per officia geminamus. Carnalis autem
vel sensualis anime motus qui in corporis sensus extenditur nobis pecoribusque com
munis est. qui seclusus est a ratione sapientie. rationi autem scientie vicinus est. Quod talis est
ordo peccandi vel cadendi in nobis. qualis fuit in primis hominibus.

Illud quoque pretermittendum non est. quod talis nunc in uno
homine temptationis est ordo vel progressio. qualis tunc in primis precessit parentibus.
(margin: deinde viro dedit) Ut enim tunc serpens mulieri malum suasit. ipsaque consensit. sicque consum
matum est peccatum. ita et nunc in nobis pro serpente est sensualis motus anime. pro mu
liere inferior portio rationis. pro viro superior rationis portio. Et hic
est vir qui secundum apostolum dicitur imago et gloria dei. Illa est mulier que secundum
eundem dicitur gloria viri. atque inter hunc virum et hanc mulierem est velut quoddam
spirituale coniugium naturalisque contractus. qui superior rationis portio quasi vir
debet preesse et dominari. inferior vero quasi mulier debet subire et obedire.
Ideo vir secundum apostolum non debet habere velamen. sed mulier. Et sicut in cunc
tis animalibus non est repertum homini adiutorium simile. sed de illo sumptum
quoddam formaretur in coniugium. ita in partibus anime quas cum pecoribus habemus
communes. nullum menti nostre simile est adiutorium. Unde augustinus in eodem.
Illud nostrum quod in actione temporalium tractandorum ita versatur. ut non sit nobis
commune cum pecore. rationale est quidem. sed ex illa rationali mente quae subhe
rentem intelligibili et incommutabili veritati tamquam ductum. et inferio
ribus tractandis gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pe
coribus non est inventum viro adiutorium simile illi. nisi de illo detractum
in coniugium formaretur. ita menti nostre qua supernam consulimus veritatem
nullum est ad usum rerum temporalium quantum nature hominis satis est simile